Franz Steiner Verlag

HERMES 146, 2018/4, 517–518
DOI 10.25162/HERMES-2018-0044

CAROLUS M. LUCARINI

Ad Dionem Chrysostomum

Dionis Chrysostomi orationes summo acumine miraque diligentia edidit I. AB ARNIM (Berolini 1893–96); cum nova editio Franco-Gallica (in collectione „Les belles lettres" nuncupata) viro docto mihique amico E. AMATO moderatore paretur, visum est aliquot coniecturas proponere, quae mihi ARNIMI editionem legenti subvenerunt[1]:

Dio Chr. 11, 87[2]: ἐν οἷς ἅπασι δῆλός ἐστι [scil. Homerus] εὔνους μὲν ὢν ἐκείνοις [scil. Achivis] καὶ βουλόμενος αὐτοὺς θαυμάζειν, οὐκ ἔχων δὲ ὅτι εἴπῃ ἀληθές, διὰ τὴν ἀπορίαν εἰς ἀδύνατα ἐμπίπτων καὶ ἀσεβῆ πράγματα.

Semper deprehenditur Homerus Achivis favens, accusat Dio. Verbis βουλόμενος αὐτοὺς θαυμάζειν non acquiesco, cum θαυμάζειν βούλεσθαι nusquam inveniatur. Conicio βουλόμενος αὐτοὺς θαυμάζεσθαι. Cfr. Dio Chr. 72, 7 (τοὺς … βουλομένους καὶ μετὰ γυναικῶν ἑκάστοτε ὡραίων καὶ παίδων ἀναπαύεσθαι καὶ πολλὰ χρήματα ἔχειν καὶ θαυμάζεσθαι ὑπὸ τοῦ πολλοῦ ὄχλου καὶ περιβλέπ εσθαι); Plut. *Regum et imp. apophth.* 176 C (ὁ δὲ νεώτερος Διονύσιος ἔλεγε πολλοὺς τρέφειν σοφιστάς, οὐ θαυμάζων ἐκείνους ἀλλὰ δι᾽ ἐκείνων θαυμάζεσθαι βουλόμενος).

Id. 11, 108: ἔπειτα Δηίφοβον ἐξελθόντα τοῦ τείχους, μᾶλλον δὲ Ἀθηνᾶν παραλογίσασθαι αὐτόν, εἰκασθεῖσαν Δηιφόβῳ, καὶ τὸ δόρυ κλέψαι τὸ τοῦ Ἕκτορος ἐν τῇ μάχῃ, οὐδὲ ὅπως ἀποκτείνῃ τὸν Ἕκτορα εὑρίσκων, τρόπον τινὰ ἰλιγγιῶν περὶ τὸ ψεῦδος καὶ τῷ ὄντι ὡς ἐν ὀνείρατι μάχην διηγούμενος.

Adderem οὐδὲ <οὕτως> ὅπως, cum εὑρίσκων ad ea quae praecedunt sine dubio referendum sit; cfr. 11, 41 (οὐδὲ οὕτως ὑποπτεῦσαι δύναται τὴν ἀπάτην); 77 / 78, 33 (οὐδὲ οὕτως πείσεται τὸ τῶν κεραμέων); Andoc. *De pace* 16; Athen. 521 e.

Id. 28, 13: „Τίνας, ἔφη, τούτους λέγεις;" „Τὸν Ἀχιλλέα –εἶπον- καὶ Πάτροκλον καὶ Ἕκτορα καὶ Μέμνονα καὶ Σαρπηδόνα". ἔτι δὲ ἄλλους ὀνομάζοντος ἐμοῦ, „Ταῦτα μέν -ἔφη- καλῶς εἶπας εἰς παραμυθίαν ἀνθρώπων, καὶ ἔγωγε ἐβουλόμην σου ἔτι ἀκούειν· ἀλλὰ γὰρ ὥρα γυμνάζειν τὸν παῖδα, καὶ ἀπέρχομαι".

Volebat scilicet Dio alios heroas immature defunctos memorare, sed eum senex, quocum loquebatur, intercepit. Scriberem ὀνομάσοντος, cum Dio post Sarpedona obticuerit. Ceterum dubitat M. STEIN Dusseldorpiensis an senis verba cum τὸν παῖδα finiant atque καὶ ἀπέρχομαι in καὶ ἀπέρχεται mutandum sit.

1 De multis locis Dioneis in Seminario philologico Coloniensi a Proff. clarissimis J. HAMMERSTAEDT et R. KASSEL recto egi.

2 Verba Dionea ex editione ARNIMI deprompsi.

This material is under copyright. Any use outside of the narrow boundaries of copyright law is illegal and may be prosecuted. This applies in particular to copies, translations, microfilming as well as storage and processing in electronic systems.
© Franz Steiner Verlag, Stuttgart 2018

Id. 32, 5: τοῦτο γὰρ ἀεὶ ὁρᾶτε καὶ περὶ τοιαῦτά ἐστε, ἀφ᾽ ὧν νοῦν μὲν ἢ φρόνησιν ἢ δικαίαν διάθεσιν ἢ πρὸς θεοὺς εὐσέβειαν οὐκ ἔστι κτήσασθαι, ἔριν δὲ ἀμαθῆ καὶ φιλοτιμίαν ἄμετρον καὶ κενὴν λύπην καὶ χαρὰν ἀνόητον καὶ λοιδορίαν καὶ δαπάνην.

Obiurgat Dio Alexandrinos tamquam rebus perniciosis et fatuis attendentes, salubrium vero et honestarum nullam curam agentes. Mihi displicet δαπάνην; nam impensae vix animum penetrant. Adde ipsum Dionem saepe civitates hortari, ne impensas publicas sordide refugiant (cf. e. g. 31, 45; ib. 100). Pro δαπάνην scriberem ἀπάτην. Exstant duo saltem loci, qui coniecturae meae faveant: 32, 15 (διὰ γὰρ ἀνθρώπων ἄνοιαν καὶ τρυφὴν καὶ φιλοτιμίαν δυσχερὴς ὁ βίος καὶ μεστὸς ἀπάτης, πονηρίας, λύπης, μυρίων ἄλλων κακῶν); 34, 47 (ταῦτα μὲν γὰρ οὐδ᾽ ἡντινοῦν ἔχει ὠφέλειαν … ἀλλὰ τῦφον καὶ ἀπάτην καὶ φιλοτιμίαν ἁπλῶς [BOST-POUDERON : ἄλλως mss.] ἀνόητον). Verba ἀπάτη / δαπάνη fortasse etiam alibi apud ipsum Dionem confunduntur (12, 70, ubi δαπάνης pro ἀπάτης restituit GEEL, cf. D. A. RUSSELL, Dio Chrysostom, *Orations VII, XII and XXXVI*, Cambridge 1992, 204).

Id. 34, 21–22: οὓς εἰ μὲν οἴεσθε βλάπτειν ὑμᾶς καὶ στάσεως ἄρχειν καὶ ταραχῆς, ὅλως ἐχρῆν ἀπελάσαι καὶ μὴ παραδέχεσθαι ταῖς ἐκκλησίαις· εἰ δὲ τρόπον τινὰ πολίτας εἶναι τῷ μὴ μόνον οἰκεῖν, ἀλλὰ καὶ γεγονέναι τοὺς πλείους ἐνθάδε καὶ μηδεμίαν ἄλλην ἐπίστασθαι πόλιν, οὐδὲ ἀτιμάζειν δήπου προσήκει [CASAUBONUS : προσήκειν libri] οὐδὲ ἀπορρηγνύειν αὐτῶν. 22 νυνὶ δὲ ἐξ ἀνάγκης ἀφεστᾶσι τὴν γνώμην τοῦ κοινῇ συμφέροντος.

Summus vir CASAUBONUS mendum agnovit, cui nos remedium novum adhibere conabimur. Conicio scilicet προσῆκεν, cum Dio res praeteritas hic spectare videatur (cf. ἐχρῆν; deinde transit ad praesentia, cf. νυνὶ δέ).

Id. 38, 20: ἐπειδὰν μὲν οὖν λοιμὸς ἢ σεισμὸς γένηται, τοῖς θεοῖς ἐγκαλοῦμεν, ὡς κακῶν παρέχουσι τοῖς ἀνθρώποις αἰτίας, καὶ οὔ φαμεν αὐτοὺς εἶναι δικαίους οὐδὲ φιλανθρώπους, οὐδὲ ἂν τὰ μάλιστα ἡμῖν ἡμαρτηκόσιν ἐπιτιμῶσι σὺν τῇ δίκῃ[3].

Vereor ne hic quoque corruptela delitescat, cum τὰ μάλιστα ἁμαρτάνειν mirum inauditumque sit; conicio τὰ μέγιστα ἡμῖν ἡμαρτηκόσιν. Cfr. Xen. *Hell.* 1, 7, 19 (εὑρήσετε σφᾶς αὐτοὺς ἡμαρτηκότας τὰ μέγιστα εἰς θεούς τε καὶ ὑμᾶς αὐτούς); Isocr. *Panathen.* 178 (τὰ μέγιστα τυγχάνουσιν ἐξημαρτηκότες); Diod. 17, 30, 6 (κατεμέμψατο ἑαυτὸν ὡς τὰ μέγιστα ἡμαρτηκότα).

CAROLUS M. LUCARINI
Coloniae Agrippinae et Panhormi

3 Ut multi in Seminario Coloniensi observaverunt, solebant Graeci σὺν δίκῃ (= δικαίως; cf. e. g. Hdt. 1, 115; Dio Hal. *AR* 1, 71, 4; Philo *De vita Mo.* 2, 99) dicere; invenitur tamen nonnumquam etiam σὺν τῇ δίκῃ (Ael. *NA* 5, 34; Id. fr. 231 D.-F.).

This material is under copyright. Any use outside of the narrow boundaries of copyright law is illegal and may be prosecuted. This applies in particular to copies, translations, microfilming as well as storage and processing in electronic systems. © Franz Steiner Verlag, Stuttgart 2018